



P R A E F A T I O.

CUm ad edendum Tertium Volumen Scriptorum Rerum Austriacarum me accingerem, Anonymi historia Austriaca, quam ex probissimæ notæ Codice Augustæ Bibliothecæ, in mox sequenti prævia observatione recensito, magna cura descripseram, præ manibus erat. Hæc, cum summi momenti eventus contineret, et a Scriptore synchrono, non modo in politicis negotiis egregie perito, sed etiam in gestis accurate, ac pro illa ætate eleganti stylo exprimendis plurimum versato posterorum memoriæ tradita esset, dignissima profecto visa fuit, quam in voluminis fronte collocarem. Iamque typographi opera ad tertium a fine folium perducta fuerat, cum in Clarissimi Henrici Christiani L. B. a Senkenberg Selecta Iuris et historiarum Anecdota incidere, atque in eorum Tomo V. totum aliud quærens, eandem historiam a pagina 1 — 346. iam vulgatam reperirem. Indignabar, quod mihi, in Senkenbergicis operibus evolendis assiduo, hunc memoriæ lapsum obrepere passus essem. At
vero

P R A E F A T I O.

vero magnis etiam viris non raro evenisse memini, ut, cum novum aliquod cimelium se detexisse opinarentur, præstantia illius veluti absorpti, ab alio iam in lucem proditum fuisse non recordarentur: quod in tanta huius generis monumentorum multitudine et varietate omnino mirum non est. Quid agerem? In tertio volumine meo, cuius notam typographicam impressam iam gerebat, locum retinere hæc historia non poterat, quippe qui fidem dederam, me non alia anecdotam, quam quæ non dum edita essent, collectioni meæ inserturam. An eam prelo iam prope finitam misere interire sinerem, aut myropolis relinquerem? Id ne facerem, plurium gravium Virorum iudicia intercesserunt, et sequentes præcipue rationes persuaserunt. Primum, quod illibatus Palatinæ Bibliothecæ codex, ex quo illam depromseram, Senkenbergico, qualem ipse præfationis pagina 2^{da} et 3^{ia} recenset, multo emendatior et præstantior videretur; a quo, etsi simillimus esse credi posset, in multis tamen locis differre, instituta collatione patebit. Deinde non pauci rerum Austriacarum studiosi sunt, qui hoc Senkenbergico opere, ad sex tomos extenso, ac pleraque alia, quam Austriaca, complectente carent, quibus profecto gratum futurum est, hanc historiam, ab exteris separatam nancisci. Denique, quantum hæc editio Senkenbergicæ præferenda sit, intuenti manifestum redditur. His momentis permotus, illam singularem in publicum proferre decrevi, benevolosque emtores adiectam singulis foliis typographicam notam Voluminis tertii non gravate laturos esse existimavi.